



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Examen generale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

*EXAMEN CONSCIEN-
tia generale ad purgationem animæ, &
ad peccatorum confessionem
utilissimum.*

PRO comperto ponitur, triplex incidere homini cogitationum genus: Vnum ex proprio surgens motu ipsius hominis: Reliqua verò duo extrinsecus aduenientia, ex boni scilicet, vel mali spiritus suggestione.

De cogitatione.

DVobis modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est. Primò; quando suggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur. Secundò, quando prauæ istiusmodi suggestioni, semel ac iterum repulsæ, & subinde nihilominus reuertenti, continuè resistit homo,

donec

donec penitus expugnetur : quod quidem victoriae genus merito alterum antecellit.

Peccat autem leuiter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione, aliquantulum moratur, quasi auscultando; vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur; vel in ea retundenda sese exhibet negligentem. Mortale verò peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur. Primò, quando cogitationi peccati prebetur quacumque ratione, assensus. Secundò, quando peccatum illud opere completur; idque grauius est priore, ex tribus causis: Videlicet, ob maiorem temporis decursum: ob actum intensiorem: & ob plurium denique offendiculum, siue detrimentum.

De Loquela.

Verbo etiam multifariam offenditur **D E V S**: vt in blasphemia, iuramento. Nam iurandum non est, neque per Creatorem, neque per creaturas vllas, nisi concurrentibus his tribus; veritate, necessitate, ac reuerentia. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quæ circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non leuis. Reuerentiam dicimus, quando assumens diuinum nomen adhibet considerationem, vt **D E O** Creatori, ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet iuramentum temere, seu vanè factum per Creatorem, sit grauius peccatum, quam per creaturam: difficilius tamen esse, per hanc, quàm per illum licitè iurare, seruatis debitis circum-

stan-

tiis, quas diximus. Primò, quia in
mentionem creaturæ faciendæ per iu-
ramentum, non ita excitamur aut
reddimur attenti, vt ex veritate ac ne-
cessitate iuremus, sicut nominato
rerum omnium Creatore. Secundò,
eo quòd ad honorem DEO exhiben-
dum cum reuerentia, longe debilius
mouemur ex cõmemoratione crea-
turæ, quàm ipsius DEI Creatoris:
Quamobrem iurare per creaturas,
perfectis magis conceditur, quàm
crassioribus; siue idiotis: quando-
quidem perfecti ex contemplatio-
nis vsu assiduo, & illustratione intel-
lectus, considerant propius, atq; de-
prehendunt DEVM secundum essen-
tiam, præsentiam, & potentiam suam
creaturæ cuiuslibet inesse: vnde ad
præstādum illi debitam in iuramen-
to reuerentiam, paratiores sunt a-
liis, qui eo perfectionis nondum
proiecti sunt. Terriò, quia crea-

turis

turis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriæ: id quod imperfectis magis, quàm perfectis fuerit timendum.

Vitandum est insuper verbum otiosum (inter alia locutionis peccata,) quale esse intelligitur, quodcumq; nec loquenti, nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur, vt afferat vtilitatem. E conuerso verò minimè otiosum censendum est verbum illud, quodcumque ad animæ vel propriæ, vel alienæ, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet: aut certe ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur: etiam si quis de negotiis loquatur, ab instituto suo alienis; vt religiosus de bellis, vel mercimoniis. Cæterum ex sermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit: ad malum verò finem,

aut

aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

Sunt & oris peccata mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri, nec obmurmurandum. Reuelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel graui damno famæ alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale solum. Ad hæc quotiescumq; alienum patefacimus vitium, vel defectum, nostrum, ipsorum vitium, ac defectum simul monstramus. Verumtamen vbi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Primò, quando publicum est, vt meretricium, vel damnatum in iudicio, vel perniciosum; puta ob errorem publicum, animos conuersantium corrumpentem.

Secundò, quoties occultum ali-

cuius

cuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem, ille releuari à peccato possit: dummodo rei huius, probabilis aliqua ratio, vel coniectura offeratur.

Possent inter oris peccata, irrisiones, contumeliæ, & alia id genus adscribi, quæ persequi licebit tradenti exercitia, prout opus esse iudicauerit.

De opere.

PROPOSITIS ante oculos decem mandatis DEI, cum Ecclesiæ præceptis & iussis maiorum, seu superiorum, æstimandum est, quicquid sit operis aduersus quodlibet eorum, id peccatum esse: leuius aut grauius tamen, pro inæquali peccandi modo, & pro diuersa peccantium habitudine. Porro, reduci ad iussa ducimus superiorum, diplomata, seu indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, con-

cedi

cedi atque promulgari solita: per que ad confessionem peccatorum, & Eucharistiæ sanctæ sumptionem, CHRISTI fideles inuitantur. Peccat siquidem non leuiter, quicumque tam pijs Rectorum Ecclesiæ cohortationes, sanctionesque aspernari audeat, ac transgredi.

EXAMINIS GENERALIS

modus: particulas seu puncta quinque complectentis.

P R I M U M punctum est, Domino nostro D E O, pro beneficiis acceptis, gratias agendas esse.

Secundum; quòd debemus pro cognitione, & expulsionem peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis præsentis die peccatis, rationem ab anima nostra exigere; per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primò

qui-